



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

34. Philippus Comes Lonësis, Roberti Frisij Flandrorum Comititis filius, an. 1093. Loënze Canoniorum regularium coenobium, in dioecesi Iprensi, fundat ac dotat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

CAPVT XXXIV.

*Philippus Comes Loensis, Roberti Frisij Flandrorum Comitis filius,
an. 1093. Loense Canonorum regularium cœnobium, in
diœcesi Iprensi, fundat ac dotat.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Intuenti mihi, quando sæcularis honor eò quidem ad amplitudinem veram concendit, quò statuere diuinum, imò extollere modis omnibus laborat, placuit mihi quatenus in hoc gymnasio quasi spectaculis interestem, dum ea concederem, quæ pro posse meo præludere valerem: & quidem vt manifestius videas quod dico, verborum meorum ista est solutio.

Ego enim PHILIPPVS, filius Roberti Marchionis cognomento Frisonis, locum quendam in Flandria possideo, Lo quidem vocabulo, sub ditione autem mea ex toto. Quo in loco B. Petrus mansionarios quosdam sibi vendicauit, super quos tamen Comitatum & aduocationem habebam, & de his etiam redditum debitum exigebam.

Sed quoniam placuit mihi, vt in domo Dei offerrem quæ possem, Comitatum & aduocationem, stallum & teloneum, & quidquid sæcularis iuris super terram ac mansionarios S. Petri habebam, vel antecessores nostri; Deo sanctoque Petro ac Canonicis famulantibus concessi: me quidem his omnibus exuens, potestatiq̄ eorum scilicet Canonorum donans ac subiiciens.

Et hoc quidem pro salute & anima mei ipsius, seu anima patris mei, ac salute fratris mei ROBERTI Comitis Flandriæ, omniumque animarum nostrarum, libenter facio.

Ad huiusmodi donationem fratrem meum Robertum Marchionem Flandriæ inuito, vt sciant omnes, quia concedimus ambo, coram his testibus,

Bernoldo Watenensi Præposito,
Roberto Canonico,
Godeberto Præposito ipsius ecclesiæ,
Theobaldo Iprensi,
Radulpho filio Raemari,

P P 3

Gilberto

Gilberto de Maro,
Eustathio de Vfen, Tidberto fratre ipsius,
Radulpho de Castelo,
Gerardo de eodem,
Frinaldo de Cassel,
Thoma Camerario,
Frumaldo de Stenuord,
Odulfo Camerario,
Adam fratre Theobaldi.

1093. Actum est hoc anno Dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, regnante Philippo Francorum Rege, Roberto ipso Flandriam gubernante, pontificante autem domino Gerardo Morinorum Præfule.

N O T A T I O N E S.

Fundationis seu donationis huius, à Philippo Comite Loensi factæ, meminit Meierus lib. 3. Annalium Flandriæ.

Lo) in diœcesi Iprensi, Canonicorum regularium olim Præpositura, nunc Abbatia.

Lo) in diœcesi Tornacensi, prope Insulas, est Abbatia monachorum ord. Cisterciensis, Latine LAVS.

C A P V T X X X V.

Lacensis Abbatia Benedictinorum, in diœcesi Treuerensi, vulgo ad Lacum, cis Mosellam, prope Antonacum, an. 1093. fundatur ab Henrico Comite Palatino Rheni, eiusq; coniuge Adleide.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego HENRICVS Dei gratia Comes Palatinus Rheni, & dominus de Lacu.

Ad inueniendam quietem humilium spiritu, notum facimus cunctis Christi nostrisque fidelibus, tam futuris quàm præsentibus, quòd cum absque liberis essem, annuente & cooperante vxore mea ADLEIDE, pro remedio animæ meæ, & æternæ vitæ consecutione, de patrimonio meo, scilicet LACHO, in honore beatæ Dei Genitricis Mariæ, sanctique Nicolai, monasterium regulæ monasticæ cultoribus